



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Thronus Dei Maria Deipara

Spinelli, Pietro Antonio

Coloniæ Agrippinæ, 1696

Opera misericordiæ, tum spiritualia, tum corporalia in honorem Deiparæ,
n. 23

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46853](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46853)

dens ad virum Dei discerpendum adaptat, eumque nimio timore penè mente excedere coegit, sed Deus, cui vir ille bonus sæpè dicebat: *Et ne nos in ducas in tentationem, sed libera nos à malo, tentationem tam duram non est passus ultra procedere, sed sua infinita misericordia liberauit eum à malo.* mox enim ve nequam ille vncum ferreum ad eum discerpendum extendit, statim beatissima Dei Genitrix misericordiae mater, in qua ille totam spem suam post Deum posuerat, visibiliter affuit, & virga leui manu pettena: Quomodo, inquit, hoc detestandi venire ausi fuistis? Non est hic vester, nec iam in aliquod contra eum poteritis prænalere. Dixit hoc: & dicto velocius totus ille nefandus coetus vt fumus euauit. post demonum fugam, hominem adhuc trementem, his consolata est verbis. Placet quod facis, tuique animi deuotionem Deo, mihi que gratam noueris, fac ergo quod facis, & de his ad meliora perseveranter proficere stude: & vt tibi aliquid singulare in mandatis tradam: *Stude visibus aieis: Operi manuum deuotus insiste: Amplexere abiectas vestes.* His ergo B. Virgo animatum hominem relinquens caelum repetijt. Ille autem, vt à B. Virgine iussus fuerat, mandata eius adimplere totis viribus vsque ad mortem nitebatur. hæc ferè ad verbum apud Petrum venerabilem Abbatem Cluniacensem lib. 2. miraculorum, cap. 29. quod idè extat apud Vincentium Beluacensem lib. 7. spec. hist. cap. 112. & in Specul. Exemplorum distin. 9. num. 113.

OPERA MISERICORDIÆ TVM
spiritualia, tum corporalia in ho-
norem Deiparæ.

23. Tertium caput eorum, quæ in obsequium Virginis fieri possunt, opera sunt misericordiae siue spiritualis, siue corporalis, quæ in proximo propter Deiparæ amorem conferuntur: & certè inter misericordiae corporalis opera recensere possumus.

- Primo, elemosinam pecuniae, seu panis, & cibi, seu vestium in egenos erogare, vel conferre, praesertim cum ab eis nomine Virginis petitur.
2. Ministrare infirmis, ac pauperibus, qui in Nosocomijs degunt.
3. Visi. re. & iuuare eos, qui in publicis custodia, vel turremibus detinentur.

4. Dotem subministrare puellis subsidio necessario destitutis, vel vt in matrimonium collocentur, vel quod longè præstat, vt in cœnobio sanctimonialium diuino obsequio mancipentur.

Sanè ipsa Virgo sanctissima beneficentiae in alios illustre exemplum nobis imitandum reliquit, cum enim hora dormitionis suae sacratissimæ instaret, auctore Metaphraste in oratione de vita & dormitione Deiparæ, ad Ioannem Apostolum ipsa aspiciens, cum pauca cum Deo esset locuta, deinde duas tunicas, inquit, quas toto vitae tempore habui tegumentum mei corporis, eas dari iubeo hisce duabus mulieribus, quas Virgines fuisse in fine illius orationis testatur hæc ille. Quomodo autem harum vestium, vna post quadringentos circiter annos Leonè I. Imperatore Constantiopolim delata, & magna cum reuerentia ibi sit reposita, supra cap. 29. diximus.

Alterum beneficentiae exemplum nobis exhibere dignata est Deipara; quippe quæ vna cum sancta Catharina Senensi, panes ad pauperum inopiam subleuandam, suis manibus conficere voluit: rem gestam ex eiusdem sanctae Catharinae vita huc ascribemus. Sancta Catharina Senensis, in magna tritici apud Senenses inopia, ex modica, & putida farina ne abijceretur, neve pauperes ex subsidio fraudarentur, suis ipsa manibus celerimè longa plures confecit panes, quam ex tantula farina fieri posse viderentur. in illis verò nullus sentiebatur factor: immò qui illis vescerantur, dicebant se nunquam tam grati saporis panes gustasse, & cum pauperibus, alijque permultis largissimè distribuerentur: semper tamen in cista panaria multi supererant, vt multis hebdomadis consumi non possent à tam multis. Cumque hoc insigni miraculo aliqui permoti essent, ipsa secerò P. Raymundo suo Confessario dixit, beatissimam Virginem Deiparam multis sanctis, & Angelis comitatam sibi apparuisse, suisque manibus sacratissimis, vna secum panes composuisse, atque inde sic auctos fuisse. hæc in eius vita apud Iurium tomo 2.

24. Quare cum eiusmodi charitatis opera Deiparæ pergrata esse certum sit, mirum non est, si omnes pecuniam larga manu in Nosocomia, Orphanotrophia, & huiusmodi pauperum, & egenorum domicilia, sub Deiparæ nomine appellata, de quibus fusè e. 29. abundè

*Eiusdem
Deiparæ
exemplum
ex Metaphraste.*

*Elemosyna nomine
distribudos panes.
Deiparæ cum S. Catharina Senensi conficere, illosque multiplicat.
Vita S. Catharinae Senensis.*

Surius.

Opera misericordiae corporalis in honore B. Virginis recensenda.

Pratum spirituale. Exemplum de Abbate Leontio Cilice qui in Deipara honorem eleemosynas dabat.

conferant, in quibus innumerabilis egenorum multitudo educatur, & iubeatur.

Sed ut peculiare aliquod exemplum ea de re afferam, illud desumam ex Prato spirituali capit. 61. ubi legimus in hunc modum: Dicebant quidam patrum de Abbate Leontio Cilice, quod in obsequio Dominae nostrae sanctae Dei Genitricis fuerit feruentissimus, ac per vndecim annos nunquam de illius Templo recessit. Erat autem semper mirae grauitatis, & sibi iugiter intendens. Dicebant & hoc de illo, quod si vidisset pauperem venientem ad se, si quidem ille esset caecus, per manum illi porrigebat eleemosynam; si autem videns, ponebat ante illum, aut in columnae basi, aut in scamno, aut in sanctuarij gradibus, atque inde illam tollebat pauper. Interrogatus autem a fene: quare pater per manus non das eleemosynas? Respondit, Ignosce mihi pater, neque enim ego sum, qui illam praebco, sed Domina mea sancta Dei Genitrix, quae & me, & illos nutrit.

S. Greg. Aliud exemplum de altero, qui aurei laterculis sibi domum extruxerat, visum est.

Huc etiam pertinere videtur, id quod sanctus Gregorius 4. dialog. ca. 36 narrat de quodam, qui calceamenta operari solebat nomine, Deus dedit, de quo alter per reuelationem vidit, quod eius domus aurei laterculis aedificabatur, sed in ea constructores in solo die sabbati videbantur operari, quoniam ex suis laboribus, quicquid ex victu, & vestitu supererat, die sabbati ad beati Petri Ecclesiam deferbat, atque indigentibus erogabat. quod si ad antiquissimam in Deiparae honorem sabbati dedicationem, de qua cap. 29. egi, mentem conuertamus, profecto ipsum in eisdem Virginis reuerentiam eo die id fecisse facile existimare possumus.

Alia similia exempla. Gerardus Episcopus Canadensis.

Possunt & hoc loco recenseri & ij, qui eleemosynam, vel aliquid aliud pecuniariter propter Deiparae nomen rogati, prompto animo illud tribuere solent. Talis erat S. Gerardus Episcopus Canadensis, & martyr Virgini ad dictissimus, qui quemadmodum cap. 35. vberius diximus, nihil non concedebat ex ijs, quae nomine Deiparae ab eo aliquis petisset.

Eximia Alexandri Alensis ex B. Virg. gnem de motto. S. Antonin

Talis erat Alexander Alensis ob doctrinae tum eruditionem, tum soliditatem, Doctoris inrefragabilis nomen consecutus. Is in Vniuersitate Parisiensi, ut verbis vtar S. Antonini 3. par. hist. tit. 24. c. 8. §. 1. Doctor insignis & famosus per orbem: exemplo non minus singulari, quam illustri, rogatus ex inopinato, ut pro

amore Deiparae Minorum Religionem, vita asperitate, & arctissima paupertate insignem ingrederetur, ad quemadmodum apud S. Anton. loc. cit. & in part. 2. Chron. Min. lib. 1. c. 12. habetur, & nos c. 35. fufius retulimus, non minus pie, quam fortiter praestitit. quare non sua modo, verum etiam seipsum propter Deiparam tradidit, deo ut verba illa, quae Apostolus cum Corinthiis 2. Cor. 12. verè cum Deipara usurpare possit: Ego pro te Virgo beatissima libentissimè impendam, & supersuspendar ipse. 25. Sed iam de operibus misericordiae spiritualis, quae propter Deiparam exhibentur, non nulla breuiter perstringamus.

In primis ad eiusmodi opera pertinet peccatores ad poenitentiam, & confessionem conuincio, & opera nostras, siuina opulante gratia reuocare.

Secundò omni studio in alios pijs colloquijs, & adhortationibus pietatem, ac deuotionem erga Virginem instillare, ac propagare, ut omnes eam cognoscant, ament, ac reuerentur, qua in re omni laude digna videtur pietas S. Elisabethae filiae Regis Hungariae, de qua in eius vita c. 2. apud Surium tom. 6. legimus in hunc modum; Elisabetha cum adhuc puella esset decimam quamque portuaculam lucelli, quod ipsi ex luui prouenisset, pauperibus erogabat puellis debito illas obstringens, Dominicanam precationem, & Angelicam salutationem fundendi haec ibi.

Tertiò, eos qui idonei sunt, ut Congregationi Virginis nomina dent, & ad recitandum Rosarium, vel huiusmodi preces, ad ieiunium sabbati, & ad similia pietatis opera allicere.

Quartò, Si quando cum socijs ad colloquendum conuenitur, praeter diem sabbati, & privilegij, festisque diebus B. Virginis, sermones de eius dignitate praestantia, atque miraculis miscere, iuxta illud Psal. 47. Circumdante Sion & complectimur eam, narrate in turribus eius, id est, Narrate de virtutibus eius, altissimis scilicet inftar turrium, & manissimis: & infra: Distribuite domos eius, ut enarratis in progente altera.

Quintò, Concionatores quoque crebrò ad populum de ea, eiusque deuotione, atque miraculis, quibus ad eius amorem ac deuotionem homines permouentur, verba facere debent: nec verò fructu carebunt, iuxta illud Eccl. 24. Qui me elucidant, vitam aeternam habebunt. Quare in libro qui dicitur Vita Fratru Prædicatorum

orum. catorum in additione ad part. 5. eiusdem libri, & refertur in Specul. Exempl. dist. 7. num. 56. legitur fuisse quidam Religiosus mortificationi deditus feruens Concionator, Virginis deuotus, qui in omni Concione de ea, eiusque laudibus aliquid miscebat, & in fine aliquod de ea miraculum narrabat ad faciendum (vt ipse dicebat) bonum os. Is in suprema sua ætate per aliquantulum temporis magna tristitia, vt creditur, ex recordatione suorum peccatorum, quam alta suspiria, & gemitus indicabant, correptus est, sed proximus morti à sanctissima Virgine uisitatus, & incredibili lætitiæ voluptate perfusus magno animi iubilo Virginis laudes concinebat, nec ita multo post sancte migravit ad Christum.

Alij ad pietatem ad-ducendi, præsertim in festis Virginis. Et certe quibus, qui erga Virgine est deuotus, præsertim qui Congregationi, seu Sodalitati Virginis nomen dedere; quibus cordi esse debet, non tantum salus propria, sed etiam aliorum iuxta suam uocationem, in festis B. Vir-

nis in conspectu eius vacuus apparere minime deberet, sed prædicta obsequia diligentius instaurare & augere, & aliquem ad sacramenta penitentiae, & sanctissimæ Eucharistiæ, & si poterit etiam ad Congregationem suo consilio, & opere adducere studeat: quod vt facilius ei succedat, Virgini id prius commendat, & ante aliquot dies huic operi sedulo, ac diligenter intendat imò deberet vniuersam familiam, parentes, fratres, sorores, filios, famulos, & famulas ad pietatem erga Virgine, ad recitationem Rosarii, ad sabbati ieiunium, ad sacramenta crebro usurpanda adducere. similiter & cognatos, amicos & vicinos, hoc enim & maximi apud Deum meriti. & Virgini gratissimum, & à quolibet, modo animum ad hoc applicet, & à Virgine opem imploret, facile præstari poterit.

Reliquum est, vt de Congregationum B. Virginis spirituali utilitate, ac fructu, qui ad sodales dimanat, nonnulla dicamus.

DE CONGREGATIONVM VIR-

ginis Deiparæ utilitate, ac fructu multiplici.

C A P V T XXXX.

S Y M M A R I V M

Origo Congregationum Deiparæ, quæ est in nostris domicilijs habentur num. 8.

Congregationum in vniuersum antiquissima olim institutio num. 20.

Congregationum, quæ Neapoli in Societatis domicilijs, habentur numerus, earumq; fructus n. 13.

Epilogus totius operis num. 20.

B. Virgini est gratissimum in Congregationem suam ingredi.



INTER ea, quæ Virgini grata in primis sunt, & hominibus, qui in sæculo vitam degunt, apprimè salutaria, illud est, vt in aliquod ex Sodalitjs, seu Congregationibus B. Virginis se cooptari eurent, propter multa, quæ in illis exercentur pietatis munia, de quorum utilitate in præsentia mihi agendum existimaui. Quæ quidem sodalitia piorum hominum in eundem locum stans diebus, horisque ad munera pietatis recolenda conuenientium, in multis iam Christiani orbis partibus constituta, & Virginis pa-

Congregationes B. Virginis ad quod instituta.

tricio consecrata sunt; vnde & nomen Parthenium inuenere. Sunt autem quasi quædam religionis, pietatisque gymnasia, in quibus exercitatio virtutis cum ipsa vitæ educatione coniungitur, vt adolescentium quidem animos optima institutio ac pietas occupet prius, quàm luxuriantia, & in temperantia inuadat. Alijs verò ætate maturiores si per deflexa vitiorum olim ab errant, ad rectam virtutis callem reuocati, pietatis inuentiam, & in eadem progressus in dies faciant vberiores. Siquidem in huiusmodi Congregationibus omnis vitæ ratio ad eam normam conformatur, quæ optimam Christianæ religionis obseruationem tuetur, ac dirigit. Neque verò in ea tantum opera datur, vt quod est diuina lege præceptum, id integrè inuolateque seruetur: sed in eo etiam elaboratur, vt omnes quotidie magis in pietatis studio excellant, ex quo fit, vt plerique ad eam Christianæ vitæ præstantiam perueniant, à qua multi, qui huiusmodi sodalitatibus ascripti non sunt, quæ longissime absunt. Hatum Congregationum multiplex fructus in

Bbb